

LECTORI BENEVOLO  
FACULTATIS MEDICÆ  
LIPSIENSIS

p. t.

PROCANCELLARIUS  
D. IOHAN. GVILIELMUS  
PAULI,

ANAT. & CHIRURG. P. P.  
S. P. D.

*de glandulis controversia.*

Anat.  
B.  
446  
Disp. anat. 360

LECTOR BENEDICTUS  
FACULTATIS MEDICAE  
LIBRARIUS  
P. P.  
PROGYNCEL  
FARRUS  
D. JOHANN GUILIELMUS  
PAULI  
AMT & CHIRURG. P. P.  
1770



F. F.



**N**ter omnes solidas corporis ani-

malis partes, quanto frequentiores deprehen-  
duntur glandulæ, quantoque frequentior ha-  
rum mentio injicitur, tanto spissioribus tenebris  
earundem conformationem ac diversitatem  
esse circumfusam, vel ex ipso Clarissimorum

Anatomicorum & Physiologorum de talibus luculenter elucescit  
dissensu. Dissensum equidem fusius nolo nunc commemorare,  
quem magni nominis Viri, *King, Malpighius, du Verney, Bellinus, Bid-*  
*loo, Pitcairnius, Vieussens, Boerhaave, &c.* de glandularum structura  
in genere inter se foveant; nec, in quantum circa discrepantiam  
eorum a *Sylvio, Stenone, Graafio*, celeberrimis experientissimi *Lossi-*  
*us, Beddevole, Nuckius, Ruyschius*, recedant. Prorsus tamen in-  
tactum relinquere nequeo, dum ex tot famigeratissimorum *Vir-*  
*orum* cum dissensu, tum consensu, materiæ adeo obscuræ ob-  
scuram præferre facem in præsentī annitor, veniam & informa-  
tionem ab oculatoribus, ubi caligavero, haud difficilem mihi  
promittens. Scilicet quo caligo circa generalem glandulæ tex-  
turam quodammodo dissipetur, ante omnia unanimis *Recentio-*  
*rum* consensus videtur supponendus, quo glandulæ in genere non  
aliud, quam colatorii & filtri decernitur munus, huic jam exe-  
quendo

A 2

quendo

quendo quia nonnisi conveniens pororum habitudo valet debet-  
que concipi, ex ipsa tali omnem glandulæ conformationem in  
genere resultare protinus clarescit, sive glandula ipsa fluido alicui  
solummodo transcolando, sive ab altero potius fluido sequestran-  
do, cum industrio *Nuckio* asseratur in specie intervire. Hinc  
quoniam ingeniosus *Pitcarnius* nonnullique pororum ejusmodi  
glandularum cum fluido, vel transmittendo, vel secernendo,  
convenientiam majori probabilitate in sola magnitudine indagant,  
hoc magis figura, quam plerique alias simul cum magnitudine in  
hoc negotio respiciunt, poterit seponi, quo promptius crassio-  
res etiam humores a tenerioribus sic secerni posse postea demum  
exponam, quam specialiore pororum texturam glandulæ, tum  
transcolantis, tum separantis, ad *Nuckii* & *Bellini* ductum, cum  
varia utriusque differentia, indigitavero. Solertissimi namque  
*Nuckii* observationi exactiori debetur, quod porositas glandula-  
rum, quas conglobatas appellant, a textura fibrosa, veluti mu-  
scofa, promanet, eaque intercedente lymphæ, per lymphatica  
adducentia quæ accedit, per lymphatica vasa alia reducentia re-  
meat transcolata subtilior, exemplo glandularum mesenterii ma-  
nifestissimo. Hæc autem inter glandulas conglobatas quemad-  
modum, præter alias notissimas, pinealis glandula ob vasa lym-  
phatica, quæ duplicis generis perspicacioribus in illa cernere li-  
cuit, jure meritoque a laudato *Nuckio* refertur, ita & pituitaria  
singularem invenire videtur locum, quod corpus spongiosum,  
i. e. fibrosum, texturæ tenuissimæ a *Vieussenio* annotetur, atque  
lympham per infundibulum a cerebri ventriculis acceptam fil-  
trando ad venosos sellæ turcicæ sinus transmittere a *Clarissimo*  
*Litre* ostendatur, etiamsi vasis proprie dictis lymphaticis, cum  
advehentibus, tum revehentibus, destituatur. Sique conglobatæ  
ejusmodi glandulæ a lymphæ transcolatione, cui vacant, lym-  
phaticæ merentur cognominari, nullum video impedimen-  
tum, quo minus lien quoque, glandulæ renales sive ad ple-  
xum ac thyroideæ, structuræ fibrosæ sanguisque transcolati-  
onis intuitu, cum *Ruyfchio* nunquam satis commendando, san-  
guineæ debeant salutari. Tum ad simplicissimam glandulæ  
secer-

secernentis structuram properanti vix aptius hæc videtur definienda, quam acutissimus *Bellinus* fecit his verbis: formari glandulam posse, si a summo ramo arteriarum, vel etiam a quacunque parte ramorum aut trunci deducatur canaliculus non conicus, neque emittens ramos, sed cylindricus & vel advolutus in spiram, vel plicatus in plicas, vel saltem extensus per convenientem longitudinem, atque per totum ambitum multis foraminulis pertusus &c. Qualem conformationem quia præ se ferunt omnes glandulæ, quas *Ruyfchio* spurias vocare placet, veluti non nisi arteriolarum extremitatibus constantes, v. g. in cerebro, oesophago, ventriculo, intestinis, hepate, renibus, testiculis, utero &c. sequitur evidentissime, hæc glandulas, si solæ occurrant, v. g. in tunicis glandulosis, omnium esse simplicissimas ac mere vasculosas, si vero sub membrana ambiente cum substantia alia folliculari aut saltem spongiosa conjungantur ac in canaliculos excretorios, modo breviores, modo longiores, abeant, glandulas magis compositas seu vasculo-vesiculares efformare, sporadicarum demum, congregatarum conglutinatorum & conglomeratarum titulo venientes. Glandularum sporadicarum intestini re-  
cti *Peyerus* meminit, descriptio vero earum, ad quam provocat, in *Willisio* frustra quæritur, a *Ruyfchio* nihilominus cum foveis sive folliculis exprimitur. Neque absimilem structuram intestinorum tenuium glandulis congregatis, a *Pechlino*, *Listero* & *Peyero* memoratis, laudatus *Ruyfchius* vindicat, dum texturam follicularem in glandulis, quæ circa labia & buccas, atque sub palato congregantur, *Malphigius* pariter distinctius evolvit. Conglutinatorum glandularum nomen tonsillis atque prostaticis a *Losio* inditur, quod utæque e pluribus simplicioribus ita conglutinentur, ut exteriorem superficiem partem satis æqualem, interiorem vero, qua cavitatem oris vel urethræ spectant, multis sinibus pertusam exhibeant. In glandulis denique conglomeratis, sive secundum *Schelhammerum* congestis, major simplicissimarum glandularum atq; longiorum canaliculorum excretorios numerus cum substantia folliculari aut saltem

Spongiosa conglomeratur & congeritur, quam in præcedaneis.  
Folliculosa ipsarum compages a *Malpighio*, spongiosa vero a *Vies-*  
*senio* innuitur, ac alterutra ex magnitudinis incremento, quod nota-  
bile capiunt, quoties uberior flatus vel aqua in canalem earundem  
excretorium vel in arterias tubuli medio impellitur, colligitur cer-  
tissime. Canales vero excretorii, per quos fluidum secretum  
aliorum amandant, quia certiore haud dubie istarum con-  
stituunt characterem, quam superficiei inæqualitas, nihil obsta-  
re videtur, quo minus hepar, renes & testiculi, ratione excre-  
toriorum ductuum, æque glandulis talibus accenseantur, ac  
glandulæ salivales, pancreas, cerebrum &c. quibus inæqua-  
lis est superficies. Thymus certe quamvis superficiem inæqua-  
lem obtineat, ob peculiaris tamen canaliculi excretorii defe-  
ctum frustra glandulis conglomeratis annumeratur; nec poti-  
ori jure glandulis conglobatis accensebitur, quod vasa ejus lym-  
phatica non nisi unius generis innotescant, ad ductum thora-  
cicum tendentia & valvularum consuetarum expertia. Ceram  
quandoquidem in humanum ductum thoracicum infusum prom-  
te per notabilia lymphatica ad thymum excurrere post Clariss.  
Comperum ipse tribus abhinc annis in publica cadaveris foemi-  
nei dissectione vidi aliisque ostendi. Quomodo *Compero* autem ex in-  
de inferre detur, thymum in foetu & junioribus subjectis, veluti  
majorem, peculiare chyli constituere diverticulum, haud inpropatulo est,  
cum modus oppido lateat, quo chylus per easdem vias, per quas ipse vel saltem  
lymphæ continuo affluit, queat remeare; adeo scilicet thymus & confor-  
mationis & usus ratione inter omnes ambiguit glandulas. Superest,  
ut fidem datam liberem, quamque varie crassiores humores a subtilioribus  
secerni possint, explanem: primum fieri hoc poterit, si sanguis per arteriolas  
in folliculos appensos effundatur, effusi autem portio tenuior per poros  
proportionatos aliorum reducatur, parte crassiori relicta, prout *Satorini*  
pinguedinis separationem dilucidavit. Deinde idem obtinebitur, si  
fluidum a sanguine quidem secernatur subtilius, moram tamen nec-  
tando crassitiem contrahat, vel quia lymphæ admixta  
nunc

nunc per lymphaticorum oscula absorbeatur, nunc ab aere ipso abradatur, vel quia tenuioris etiam fluidi particulae successive invicem combinentur, sicque crassiores efficiantur. Postremum fortassis in bile folliculari locum habet, cum hepatici poribilibis tenuissima cernatur, in folliculo autem fellis longiore mora notabiliorem, & crassitiem, & amaritiem contrahat, nullis interim vasis lymphaticis ab ista vesicula juxta *Nuckium* emergentibus. A quibus econtra in mammis v. g. & testiculis lymphæ videtur excipi, quo lacti & spermatis virili spissior concilietur consistentia; quemadmodum ab aere in auribus, naribus, ore, trachea, &c. serum tenuius continuo diripi, crassiori magis & plus minus viscido superstite, inter omnes constat. Sed hæc circa abstrusissimam glandularum structuram & differentiam primoribus attigisse labris sufficiat occasione Disputationis Inauguralis, quam de *Cancro Mammarum*, glandulas corripiente, *Nobilissimus & Clarissimus Vir Juvenis, Dominus*

**GEORGIUS FRIDERICUS RUTTENBERG / Lips.**

*Philosophiæ Magister & Medicinæ Baccalaureus*, crastina luce B. C. D. mascule est defensorus. Hic quippe sicuti in Academia patriæ præceptis Philosophiæ haud leviter imbutus ex Medicinæ Professorum & Doctorum manu ductione in Arte salutari egregie profecit, egregiosque profectus cum in examinibus, theoretico altero, altero practico, tum in lectione cursoria aliisque specimenibus Gratiosissimo nostro Collegio satis comprobatos dedit, ita & ex ipso conflictu disputatorio omnium applausu & suffragio dignus facile reputabitur Licentiæ in Medicina titulo ac honoribus, quos a Facultate Medica modeste nuper petiit atque conferendos obtinuit. Cumque ad præviam hujus & submissam denominationem

*Serenissimus ac Potentissimus Dominus, D.O.*

**MINUS FRIDERICUS AUGUSTUS,**

*Rex Poloniarum, Magnus Dux Lithuania, Russia,*

*Prussia, Masovia, Samogitia, Kyovia, Wolhynia,*

*Podolia, Podlachia, Livonia, Smolenscia, Severia &*

*Czernia.*

①  
Czernichovia; Dux Saxonie, Julia, Clivia &  
Montium, Angria & Westphalia, S. Romani Impe-  
rii Archi-Marschallus & Elector, Landgravius  
Thuringia, Marchio Misnia, & superioris inferioris  
que Lusatia, Burggravius Magdeburgi, Comes  
Principalis Hennebergicus, Comes Marca, Ravens-  
bergi & Barbya, Dynasta in Ravenstein, &c. Domi-  
minus meus longe Clementissimus, nomine Reverendis-  
simi ac Celsissimi Principis & Domini, DOMINI  
MAURITII WILHELMI, Ducis Saxonie,  
Julia, Clivia, Montium, Angria ac Westphalia, Po-  
stulati Administratoris Episcopatus Martisbur-  
gensis & Academiae hujus Cancellarii Perpetui,  
Domini mei Clementissimi, Procancellarii ad hunc actum vices  
clementissime mihi demandaverit, mecum constitui, Nobilissimo  
Domino Candidato Dissertatione finita promeritam Licentiam Docto-  
ralia in Arte Medica privilegia & jura rite adipiscendi solenniter im-  
pertire, Quam vero Panegyrii solennem ut splendidiorum præ-  
sentia sua, Magnificus Academiae Rector, Comites Illustrissimi, Amplissimi u-  
triusque Reipublicae Proceres, ut & florentissima Nobilissimorum Studiosorum  
Corona, ne graventur reddere, ea qua decet humanitate rogo,  
omnem posthac occasionem cum Gratosissima Facultate Medi-  
ca Nobilissimoque Domino Candidato avide arrepturus, tam  
insignem benevolentiam servitiis, officiis, studiis, red-  
hostiendi, P. P. Lipsiae d. 14. Novembr.  
M DCC IX.

---

LITERIS BRANDENBURGERIANIS,

Arch. B 25/46